

Acclamations votivæ,  
quas, dum vir  
consultissimus atq[ue]  
amplissimus dn. ...

Kock, Johannes Henrici,

*1 Ic 1686 Svederus, Matthias*



National Library  
of Sweden

ACCLAMATIONES VOTIVÆ,

QUAS,

DUM VIR

CONSULTISSIMUS ATq; AMPLISSIMUS

**DN. MATTHIAS  
SVEDERUS,**

PROFESSIONEM

UTRIUSq; JURIS

SOLENNITER CAPESSERET,

IN INCLITO ATHENEO ABOËNSI,

EJUS FUNDEBANT CLIENTES.

M. MDCLXXXVI

JOHANNI KOCK



1686

22



Uod flamma intra sinus latentis gaudii celari non possit, singularis tuus, consultissime Domine, favor facit, quo me amplecti haud indignatus es, quem, quo fas est, animo grato exprimam: Etenim non abs re me facturum esse arbitror, si hac ipsa hora, felicem illum deprædicem diem, quo S. R. Majest. te titulo Professoris ornare voluit: Exultate proinde mecum themidis cultores omnes, queis tamdiu desideratum videre licet præceptorem, de te enim amplissime Domine, hæc verba, vere prædicari possunt, quæ in catalogo legislatorum Westrogothiæ de Æschillo septimo decimo legislatore habentur: *Sidan han fan landzsinns Lagh / ta huxade han them med myckli snilli och sielfsinns forseo* Nam rumor famaque nominis tui, satis superque calculum meis addunt verbis. Salve ergo consultissime professor, salve inquam & jam bene meritos capesse honores, diuq; vive in Numinis altissimi gloriam, Academiæ hujus illustris ingens & speratum emolumentum, tuumq; gaudium & exantlatorum laborum decus. Ito ergo avibus felicibus, quo te tua vocant fata. Decætero vale mihiq; magni nominis tui æstimatori fave.

*Dat. Aboe Die 18 Nov.*

*A. MDCLXXXVI*

JOHANNI KOCK

*Dalek. Svec*



Andem elucescere debuit illa dies tot votis expetita, Re-  
gi sacra, ac Aboæ fausta, dies inquam, si ulla unquam  
fastis nostris digna: Hæc quippè est, qua celeste de so-  
lis serenioris ortu decretum primus propalavit, hæc,  
qua lucem ejus non interpolanda serenitate fulgere jussit. Atque  
cum usus obtinuit id genus, dies perpetuâ memoriâ colere, qui  
mortalibus præcipuum quoddam vel ornamentum vel adjumentum  
adtulerint, minus quemquam admiratione defixum esse oportet,  
inter aliorum gratulantium voces, meam quantumvis omnium,  
tenuissimam, hodiernâ luce, cum radiis Regiæ clementiæ clarâ,  
tum Musis ob ortum novi sideris gratâ, nec premi, nec intra pe-  
toris mei claustra coarctari posse, quin sub fulgorem ejus se to-  
tam expanderet. Quantâ dignitate quantoq; splendore, apud Hi-  
storiarum Phosphoros gradiuntur illi, qui ad exempla eorum, qui  
tanquam faces ac sidera per terrarum orbem inclaruerunt, ope-  
ram suam Patriæ ac Reip. impenderunt devoveruntq; docent an-  
nales, docent scripta majorum: quæq; singula meberculè non im-  
meritò celebrarunt, dum utilitatem, qua ex eorum eruditionis  
orbe, tanquam ex matutino rore ac imbre distillavit, considera-  
runt. Experientiæ enim calculis approbatum est Rempub. sine com-  
municato hujus lumine nullam aliam representare speciem, quam  
oculi sine pupilla, ignis sine fulgore, sideris sine lumine. Sanè  
ruunt omnia ubi non hoc firmamentum, disfluunt ubi non hoc  
coagulum, imò in scelerum ac vitiorum abeunt licentiam, ubi non  
hoc repagulum. Quare cum Antiquitati tantam gratulandi ma-  
teriem præbuit hæc eruditionis laurus ac Thesaurus, quin  
nobis longè maiorem? imò herclè, cum tantum doctrina irradi-  
ans jubar, castigatum modestiæ velo amabilius Elucet, cumque  
veluti radiantia astra in pulcherrimo ætheris domicilio collocata,  
nobis in themidis adyta penetrantibus tantam faciem præferat,  
ut jure meritoq; dicamus, Hæcorem prodeuntem nos expectasse, A-  
styanactem vero vidisse. Quin ergo Musas nostras terq; quaterq;  
sin-

114  
sincera felicitatis rore irrigatas pronunciem? quin meliori Cæli  
rivo jure fecundatas exclamem? quin diem latum hunc, qui nul-  
lam oblivionis umbram admittit, deprædicem? quo non solum de-  
fecatissima lætitiæ dolia hauriamus, ut scintillent intimi pectoris si-  
nus, lætentur animi, applaudant linguæ, verum etiam ipsis ver-  
bis declaremus, & illi, qui tanto Phosphoro Musas nostras beavit,  
offerimus id unum, quod possimus inter Musas taciti ac delitescen-  
tes immortalæ gratiarum actionem. Tibi vero Excellentissime Do-  
mine Professor novos hos humilimo adfectu gratulari volui ho-  
nores, & sic calamum meum, antequam se latius diffundat, sus-  
flaminare, ne dum gratus esse laboro, molestus fiam. Calida in-  
super vota votis jungam ut consilia Reipublica literaria, tuæq; in-  
cepta altissimus prosperet sedemq; virtute inchoatam suâ divinâ ope  
attollat. Vale proinde Excellentissime Domine Professor multos  
annos feliciter exige, tergeminaque felicitate flore, ac ignoscen-  
do meæ simplicitati benevolentia tua aura fove.

Tuæ excellentiæ  
Perpetuum cultorem  
PETRUM RINGH.  
Blek. Sve.

